



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 26. Et percussit Pontificis servum. v. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

cum Domino & in carcerem & mortem ire, nec quempiam aliorum & discipulis se movere pro defensione Domini sui; arripuit subito gladium suum & evaginato illo. cepit muscas illas à capite Iesu, & famelicos canes & leones à corpore eius fugare, putans sic mandasse Dominum suum dicentem: *Qui non habet gladium vendat peram & tunicam, & eruat gladium.*

Bene, bene faciebas S. Petre, quod gladium non frustra portasti, uti Pontifex & S. Ioannes tecum, uti Episcopus vel Cardinalis Ecclesie Dei & Christi, ad correptionem malorum & vindictam pro bonis, maxime pro Domino ac Deo tuo Iesu Christo. Sed in uno, uti videbimus errasti, quod absolutam potestatem tibi arrogasti in usu gladii, cui non illa tibi convenit, sed dependens à Deo & iustitia & ratione solum tibi data est potestas quoad gladium. Hoc igitur est iam amplius videndum.

§. 26. *Et percussit Pontificis servum, v. 10.*

Adhuc currit factum Petri, nam de iure postea videbimus. Ergo non solum eduxit Petrus gladium de vagina, sed & eo usus est percutiendo, ut diverteret à Domino latrones, nec hoc facto Petrus peccavit, eo quod licitum opus fecerit ex pio & ferventi amore quem debebat habere ad magistrum suum: licet aliqui contradicant, quod peccavit, eo quod nec Index fuerit, nec à iudice auctoritatem habuerit; sed hi non attendunt, quod etiam privatis sit ius inculpatæ tutelæ se suosque Dominos defendendi. Adhuc ergo bene agis S. Petre Dei Apostole, dignus Princeps Ecclesie; inculpatæ tutelæ iure agis contra hostes Domini & Dei tui, etiam Pontificis servum percutiendo, non possum negare hoc, etsi Pontificis servos credam honorificè habendos; in hoc tamen casu erat plus quam Pontifex ille qui lædebat innoxius. licuit ergo tibi & sociis tuis illum defendere contra iniquum invasorem; atque utinam sic omnes Ecclesiarum Principes & Episcopi & Prælati essent animati, & olim fuissent contra Lutherum & similes Ecclesie eversores, tunc non evenissent mala illa, ob quæ ipsi hæretici obstupescunt, qui scribunt se attonitos expectare quo omnes & grandes isti motus Europæ in bellâ ruentis. sint spectaturi & deventuri, nimirum sentiunt se accendisse tormentarium pulverem, sed incendium excitatum à se iam non posse regere. fatentur.

§. 27. *Et abscidit auriculam eius dextram, v. 10.*

Adhuc pergit currere Simonis Petri factum, siue attentatum, & cetera. Quis monstratur abscissa auricula. Mirare autem anima mea fervoreto
Petri.